Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1087
Quelle:
Copyright:

terpreteris: *Nunquam pes pervadavit*, a *durchwaten;* et *Str.* VII. *Treyb ober hor*, quasi *dimove de via*, simile antiquato *ober hor gehen*, id est, evadere, ab aliqua re declinare. Mirum etiam *Str.* III. ubi ait: Tempus, Figuram et Locum in Deo esse *Schach vnd Math*, quo loco Commentator longam narrat fabulam de Imperatore in regione *Bagada* (Bagdad?) nomine *Ymorlin* (Timurlan?) ad quem de morte Filii *Scaci* consolandum *Sochon* Rex *Babylonie* majoris Ludum latrunculorum excogitavit, concluditque: *Sicud scacus dictus est mattus id est mortuus* (a מוּתָה מוּת Mors) *sic tempus, forma, et locus ceteraque predicamenta de deo dicta penitus moriantur.*

Extrema Codicis occupant *Ascetica* quaedam connotata levis momenti.

CCCCLII.

U. 105 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 81. 4. min. sat nitide exaratus, minio pernotatus, olimque, ut triplici testimonio cautum est, ab *Joh. Fabro* Ep. Vien. suo ad D. *Nicolaum* legatus Collegio continet spurium illud *Epistolare*, cujus prima Pars inscribitur: *Epistola beati Eusebij Cremonensis ad Damasum portuensem episcopum. et ad Theodonium Senatorem Romanum de obitu gloriosissimi confessoris beati Hieronimi doctoris eximij.* et incipit: *Multipharie multisque modis olim deus locutus est* &c. Altera *fol.* 42. p. 2. *Epistola sancti Augustini Episcopi eximij doctoris ad Cyrillum Jerosolimitarum Episcopum de laudibus beati Hieronymi doctoris eximij.* et incipit: *Gloriosissimi christiane fidei athlete. sancte matris ecclesie lapidis angularis* &c. Tertia *fol.* 49. p. 2. *Epistola beati Cirilli patriarche Jerosolimitani ad beatum Augustinum Episcopum de miraculis beati Jeronymi doctoris eximij.* et incipit: *Illius. s. Jeronymi gloriosi cuius memoria erit in benedictione* &c. Omisi praevias Formulas salutationum; adscribam tamen Τειχιον ultimae praefixum, quod alibi non reperi:

Augustine pater genuit te bis tua mater
Carne prius mundo. lacrimis christoque secundo.
Cum prece sic ideo nos generetque deo.

Pia haec Commenta dudum rejecere post *Erasmum* Critici. *Oudinus* T. II. *col.* 388. ea *Damaso* Ep. *Portuensi*, qui deinceps *Formosus* Papa Sec. IX. fuit, adfictum ibat. Mihi multo recentior, at eo magis diditus partus videntur. Nam mox sub Typographiae primordia pluries s. l. et a. edita sunt, et Editio *Patauie* (Passavii) *per Conr. Stabel et Benedicti* (Benedictum Mair) char. goth. 1482. 4. mihi adjacet Codici nostro plane conformis. Apud *Vallarsium* inve-